

**Auspicio, sacrosanctae triadis: auctoritate ampliss. colleg. medici: subsidio, ... D.D. Andreae Planeri, ... subscripta, de morbo saturnino, seu melancholia effata medica : cum adscriptis conclusis, / disquirenda proponit Iohan. Fabri.**

### **Contributors**

Planer, Andreas, 1546-1607.

Fabri, Johannes.

Kepler, Johannes, 1571-1630.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Apud Georgium Gruppenbachium, Anno 1593.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/zx22um76>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

11

Auspicio,  
SACROSANCTÆ

TRIADIS:

AUCTORITATE

AMPLISS. COLLEG.

MEDICI:

SVBSIDIO,

CLARISSI-  
MI VIRI; INCLYTÆ

TVBINGENSIS ACADEMIÆ PROFESSORIS

*Philosophi ac Medici*: D. D. ANDREAE PLANERI, *Athesini*;

*Facult. Med. spectatiss. hoc tempore, Decani; Præceptoris, Hospitiſq; sui obseruandiſſ.*

*ſubſcripta,*

DE MORBO SATVRNINO,

SEV MELANCHOLIA

EFFATA MEDICA, CVM AD.

SCRIPTIS CONCLVSIS, DISQVIREN.

DA PROPONIT

IOHAN. FABRI,

TVBING.

X. APRIL. DEO ASPIRANTE, HORIS  
antemeridianis, in Aula noua.

TVBINGÆ

*Apud Georgium Gruppenbachium,*

ANNO 1593.

*Eruditiss. D. M. Iohan. Henric. Schæffer. D.  
S.S. Theolog. alumno impigo; Dno & Amico*



Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

<https://archive.org/details/b3076161x>



# CHRISTIANA NISS, DEI NVTV, ILLV,

STRISIMOQVE PRINCIPI, AC DOMINO:

*Domino LVDOVICO, Duci VVirtembergiaco, & Theccio;*

*Comiti Mompelgardico, &c. Domino suo  
clementissimo.*

Vitam, DEVM, Monumenta, Inducias, Aeternitatem,  
P. Cliens subditissimus,

I O H A N N E S F A B R I.

**H**ominem, animal diuinum & politicum, sereniss. & benignissime Princeps,  
Mundi, cunctorumq; huius circumflexu tectorum, non tam miraculum,  
quàm compendium esse, adeoq; μικροκοσμον referre; in Natura sagaciss.  
innuit Aristoteles.

Et quidem satis aptè. Magnus enim Mundus, cœli terræque est ordo & com-  
positio congruens: à Deo, & propter Deum facta. Minor mundus, à homonia di-  
ctus, Animæ, corporis, singularumq; huius partium conueniens temperatura est  
& constructio; eodem satore fineq; extractus. Illum, nulla materia sensili præsentè,  
à summo rerum Opifice fabrefactum, antiquiss. theatri vitæ humanæ Scriptor pro-  
didit. Simili potentiâ, Entium omnium quasi finis, Homo, à principio illo, & sine  
effectus viuut. Ille temporis præfiniti decursu, in cineres ruet: hic eâdem fatali lege  
tenetur.

Ille Cœlum habet, quo sublunaria quæuis viuunt & reguntur. Hic Caput pro  
Cœlo gestat; & inferiora moderans; & Orbib. Intelligentijs, Planetis, Stellis: Sensi-  
bus internis, externis, Rationeq; coruscans. Illud lumina duo, Solem, & Lunam,  
effectu splendidissima, Noctemq; & Diem discriminantia, sibi infixæ mouet: Hoc  
Intellectum Agentem, & Patientem, Sapientiæ cribra Solesque lucidiss. Falsum  
à Vero dissoluentes, insita voluit.

Quaterno Elementorum censu & consensu Megacosmus construitur. Sic &  
Microcosmus. Primas illic igneū, viuicaciss. tenet. Heic, Cor: omnia calfaciens, viuifi-  
cans & conseruans. Aeris analogiam, Spiritus, inspiratione & expiratione tractus,  
sustinet. Aquæ naturam, sanguinea Hominis massâ exprimit. Vt enim illa, omnige-  
na terrâ nascentia rigat fouetq;: sic hæc totum corpus vegetat nutritq;. Terra, Ven-  
triculi, Intestinorum, cæterarumq; spermaticarum ac solidarum partium formâ &  
naturâ describitur. In Stomachū pascendarum generandarumq; rerū semina quasi  
(vt ibi terræ, pro frumentatione viuentium, committuntur) traiciuntur: materia  
alimonix corporis, seminis, nouiq; hominis futura. Atq;, vti terræ sterilitate, an-  
nonæ caritas, ad mortem vsq;, crescit: ita Ventriculo præcipuè, infirmitate quadam  
infœcundo: fames in tota maioris Mundi effigie sentitur: corpus tabescit, vel peni-  
tus occidit. Ideo Ventriculo, corporis horreo atq; molendinè, omnis nutritionis  
ortum & principatum deferre, non ineptientis esse arbitror. Ecclipsatur sæpè Sol:  
sæpius Luna. Etiam hominis lumina, multoties, errorum interposito, & crassissimè  
deficiunt. Planetæ, & Stellæ corporis, planè sæpiusculè, & ob Spirituum animalium  
nubes, tenebricosæ visuntur. Ignita verò, & alia multiplicia, in corporis regionibus



aeris, Meteora fulgent. Cerebri inflammationes, Phrenitides, Deliria, Mania, Vertigines, Suffusiones, Cataracta, Vngues, Albugines, &c. verè fulmina, typhonas, virgas, presteras, irides, halonas, Mundi magni, sapientes. Variè venti huius aërem torquent. Tuffes ventosa, alijq; Microcosmi flatus, quàm variè corpusculum diuexant? Certè, Solis, Caniculæ accessu, intenditur feruor. Sic Sirio isto febrili æstuosiss. solarib. Cordis radijs propinquire; paruus Mundus, vel aduritur, vel conflagrat funditus. Quid? Pluuiarum casus in Mundo, quàm creber est atq; diuersus? Non aliter in Homine. Terrestrium etenim ipsius portionum plurima sapius humiditas, in altum, calore soluta, suspirat, concrefcit, motaq; rursum deuoluitur: rores, pruinas, niues, nebulas, pluuias, grandines, tonitrua, *ἔξυδρίας* aquarumque properantem è Cælo ruinam inuehendo: hoc est, Sudores, Stuporè, Hydrôpas, Exhulcerationes, Erysipelata, Attonitum morbum, Epilepsiam, Catarrhos mites, fortes, suffocantes, Coryzas, Diarrhæas, &c. Sed & terræ motiones in minore Mundo sunt frequentes: spiritu crudo ac flatulento, aut totam hominis terram, aut partem duntaxat sustollente & vibratim conquassante: sæpius cum edificiij humani structuræ dispendio. An non & Cometæ in Homine? Sunt sanè. morbi omnes diuiniore, occultioresq; Physicis supinis vocati. Non dicam, aqueam Microcosmi substantiam, adiacentium aliquando partium æstu, vel crassiusculè absumi, vel frigore, ceu glacies, stringi; vt limus & fax sola residua putetur. Huius materiæ, dissolutæ denuò, fumus, ad globum cœlestem sublatus, omniuagas in animali aëre producit turbines. Earum vna est, Melancholia denominata: Autumnum declinantem in accidentibus repræsentans. Prout enim tum, frigida siccaq; tempestate ambigua tristiaq; Naturæ germina reconduuntur: sine aërorum serenitate, syluarum, pratorum, hortorum, arborumq; virentiâ & festiuitate; silentib. auibus; lugentibus terræ animalibus quibusuis. Similiter hîc, viduæ vigore suo actiones corporis sunt quælibet: Anima mœret: Mens terretur; & vbiq; plurima Mortis imago sollicitat.

Huius ego affectionis Melancholicæ, Princeps clementiss. ingenium & curam inquirere, lætificumq; ac præsentaneum Veris tempus opponere volui.

Lubet verò hoc, quidquid est, C. T. dicare. Idq; cum virtutis, tum officij nomine. Etenim, cum Reges Medicinæ duntaxat parère, Plinius veriss. notarit: & Plato in Alcibiade, omnem mortalium turbam curatione indigere doctè enunciarit: ideò, tantum purioris Iatrologiæ alumnos fidos, *ἰσοδιδεὺς* ab Hippoc. sapientiss. appellatos, C. T. obseruat & amat; quantum quisquam alius. Quid porrò C. T. mihi commodarit; tacere, quàm mutilatè, aut odiosè recensere, satius autumno. Hoc enixè peto: paginas præsentis Medicas, benignè & clementer C. T. suscipiat: sicque agnoscat; ac qui amplissima dare voluit. Dein, Musarū mearum Hyperaspistes Asylumq; benignum esse C. T. pergat. Omnipotens & Propitius Deus, Illustriss. C. T. cum florentiss. VVirtembergiæ Propagine tota, quàm diutissimè superstitem, felicem, & nutricium; Scholæ Religionis, Patriæ, meiq; protegat atq; gubernet. Amen. Scripsi Tubing. Cal. April. Anni, &c. 93.



# DE MELAN- CHOLIA PRO- POSITIONES.

**R**ostpositis alijs, similariter Cerebrum ludentibus passionibus; Melanchymicam, Saturni, à scita antiquitate vocatam filiam, proponemus: eius nomen, generationem, causas, differentias, signa; medicationis intenta, instrumenta, modum; nuda strictaq; positionum serie visuri.

## I.

Melancholice voce signamus morbum: delirio mitiori, cum metus & tristitia individuo comitatu iunctum.

2. Taliter generatur. Succus precipue niger; non rodens, aut furens; & in Cerebri, & alijs vasorum cavitatibus παραφύσιν quandoq; insicitur: spiritusq; fumosus vel fuliginosus inde suscitatus, exhalans & effumans, spiritus animales ita alterat; ut tum αἰσθητικὰ, tum ἡγεμονικὰ hominis ἐνεργεῖαι immutentur: imaginatiua exterarum specierum simulacra perperam concipiat; aut intus fictis percellatur: Sensus communis, Logisticaq; vis, opinionibus, pauore mæstitiaq; plenis, fluctuet & allucinetur.

3. Sic finimus. Melanchymia est quedam τὴν ἡγεμονικῶν Cerebri ἐνεργεῶν natuarum, ad vitiatas mutatio; à dyscrasia spiritus Animalis frigida & sicca, citra febrim & furorem, metum ac mærorem, sine causa externa faciente, dependens.

4. Hæc explicatius dispiciamus. Forma huius affectus, est Phantastica & Ratiocinatiuæ maximè deprauatio.



5. Pro Subiecto, Cerebrum, ut simillarem portionem, locamus.
6. Efficientis causæ synecticam rationem habet, ἀναλογία Spirituum principum frigida & sicca.
7. Istam intemperantiam recipiunt, à causa, vel In corpore, vel Extra afficiente.
8. Illa, aut Capiti, aut huic Inferioribus partibus, aut Toti corpori insidet.
9. Inferiores præcipuè sunt: Cor, Ventriculus, Intestina, Mesaraum, Lien, Hypochondria, Hepar, Uterus, &c.
10. Et Capiti, & Inferioribus, & Toti infixæ Intemperaturæ: aut Immaterialis est, aut Materialis.
11. Immaterialis, ex intemperie partium frigida & sicca in primis oritur.
12. Materialis, ex materia melancholice, vasis contenta.
13. In hac & Species, & Vitium examinatur.
14. Specie quadruplex est. Nam vel sanguinis, vel bilis utriusq;, vel pituitæ esse progeniem, εὐλογον est.
15. Vitium, est vel Substantiæ: quia corrumpitur. Vel Qualitatis: nam frigidior, siccior, flatulentior, lentior, gignitur. Vel Quantitatis: quoniã abundantior. Vel Motus: quia fuligo sursum tendit. Vel Quietis: nõ naturaliter è corpore proreptat.
16. Prædicta cuncta causantia, vel cum Genitoris bonis accipiuntur: vel Matris tristes sunt soboles.
17. Si Patris: similes se magis melancholicè habent. Sin Matris, sanguineæ.
18. Extra, vel quantitatis, aut qualitatis maximè iniuriã afficiunt; primò, Aër frigidus & siccus, crassior, turbulentior, fumosus: interdum etiam ardentior.
19. Cibus & Potus Melanchymicus, facutinus, crassus, terrestris.
20. Emunctoriorum corporis occlusio, hemorrhoidum in vivis: in fœmellis, mensium



21. *Quies nimia, sedentaria, torpida.*
22. *Vigiliarum studium: Somni excedenter productiores.*
23. *Animi motus meticulosi, tristes: odium, solitudo, ἀπαι-  
δεωπία: literarum cultura frequentior.*
24. *Cæli constitutio Saturnina: regio, & alia.*
25. *Differentias, à Forma, & causa Efficiente desumimus.*
26. *Illam iam perturbatius, iam blandius se habere visitur.  
Pro eo enim, ut Animi Spiritus patiuntur: ita discrepante  
etiam Phantasia & Ratio errant.*
27. *Huius verò differentia, ex præmissis satis cognoscuntur.  
Sed & alias & latiores adponamus.*
28. *Vel à Totius intemperie nostrū τὸ ἄδοξ οἴεται: vel Partis.*
29. *A Toto, appellemus Vniuersalem. à Parte, ut Cerebro,  
Cerebrosam: Corde, Cordialem: Ventriculo, Ventralem: Splene,  
Spleneticam: Hypochondrijs, Hypochondriacam vel Mira-  
chiale. Et sic de cæteris.*
30. *Indicia alia Diagnostica sunt: alia Prognostica, alia com-  
munia; alia Propria.*
31. *Diagnostica Communia numerantur, æstimatorum vel  
rectricis & appetitus deprauatio: mæror & pavor; aliàs cum  
risu, aliàs luctu, suspirijs: silentium, δυοδραμία & μισαυδεωπία:  
cogitationum inconstantia: in varia animalium genera, testa-  
cea, gallos gallinaceos, transformationis opinio: nunc mortis,  
nunc vitæ amor, nunc amoris cupido. Alij se mortuos, mentien-  
tes, cibum reijciunt. Quidam se Reges, Duces, Poëtas, Demo-  
nas, aues, instrumenta artificialia esse putant. Sunt qui ranis  
se grauidos nugantur; cælum alij ruiturum timent, &c.*
32. *Quid multis? affectus niger præsens, ἐν γυνωσοῦ ἐστ. Vis. n.  
animæ Phantastica fracta est: Ratio insana cū metu stultescit.*
33. *Formales differentia & ipsæ, facilis sunt dignotionis.*
34. *Sed Efficientis ortum & naturam planius designemus.*



35. Si dyscrasia nuda est; recensitas nugae continuè fundit: abundantia atrabiliarie notae absunt: causa exteriores memoratae non fuere observatae.
36. Si composita cum humore: ex interpolato, multipliciq; delirij motu agnoscitur. Pro materiae enim conditione, origine, loco, ἀπομοιρωμένης aliorumq; mouentium discrepantia; iam intermissè, iam mitius iam inquietius agrum Phantasijs agi cernes
37. Signa demonstrantia propria, respiciunt vel Totum, vel Partem.
38. Totum affectum esse, arguunt: victus antegressus melancholicus: splen, epar, & stomachus languent: vena lata; sanguis effluens nigrior: corpus hirsutum, pilosum, macrum, durum, nigricans: uteri, haemorrhoidum, marium excretionnes interceptae; & alia.
39. Partem. Cor. Hoc calidius, cerebrum frigidius: frigidius, cerebrum calidius melanchymicè infestat. Sed horum signa, ex arte parua Gal. cognoscenda praetereo.
40. Ventriculum Apostema observatum in ipso, materia melancholica sociatum: dolor illius vehemens. Vehementior tamen cibo ingesto, quàm digesto ac expulso, &c.
41. Splenem. Βελήνια: lateris sinistri tumultuosus rugitus arteriarumq; palmus: ipsius intumescencia & flatuositas, &c.
42. Hypochondria, aestus in praecordijs; crudiore solidior èue cibo assumto, maior; sputum humidum & multum; flatus, ructus crebri & acidi: bona concoctione, εὐφώρας degunt: praecordia sursum conuellantur, &c.
43. Cerebrum. Signorum, in Totali, Partialiq; Melancholia scriptorum, ἀπεσοία: contemplatio, Mentisq; nugiuenda turbatio, eaq; ferè non interrupta: in idem intuitio fixa: medicamento-



samentorum, capiti ad motorum, effectus laudabilis, &c. Idem  
de alijs partibus, signa nactis propria, iudicium esto.

44. Porro, Speciei, humoris melancholizantis, notiones ponamus.

45. Si sanguinea Melancholia est; mitiora huius accidentia sunt, atq; cum risu placidè desipiunt, &c.

46. Si biliosa: mores Maniacis confines ferè; iram, bella agitant. Et hanc malum quendam genium inducere, astantes, ut plurimum, existimant.

47. Si pituitosa; animi affectus torpidi, voracitas, calor remissus, inertia, somnolentia, phlegmatica vomitio, &c. vel assunt, vel praeferre.

48. Sed Praesagitiones ac Prognostica erigamus. Desipientis am omnem, propter Essentiae sc, magnitudinem, Dignitatisq; vehementiam, periculosam proclamavit Senex.

49. Ast, de praeposito Morbo metus, differentiarum eius variarum consideratione, maior impendet. Duarum namq; operationū summarum noxâ, peius malū aestimatur: quàm unius.

50. Praesentiùs, intemperies melancholica, colluie & fomento humorum stabilita, laedit; quàm solitariè consistens.

51. Sed tamen, quaelibet habitualis, capitalior est, scheticâ: protopathetica, grauior est sympatheticâ: hereditaria, adquisiticiâ: à Cordis malitia excitata, insignior est: quàm, quam aliarum partium ἀτρονία & consensus peperit.

52. Speciei humoris prognōses sunt. Sanguinea Melancholia, omnium est tutissima. Quia cum risu, Biliosa, periculosior. Quia feruentior. At breuior. Pituitosa, & Melanchymica, blandiores; sed constantiores, & longiores.

53. Vitiij. Succij, quò corruptiores, frigidiores, sicciores, crassiores; ad superiora concitatiores: stabiliores: nobilius salutis discrimen curamq; infeliciorem minantur.



54. Balbi, oculos, linguasq; mobiliter, & precipitanter volu-  
uentes; facie obscure rubidi; pilosi, præcipue pectore; labijs crass  
siusculus, in Melancholiam proclives sunt.

55. Timor, & mæstitia, diutius animum occupantia, dictū  
Morbum portendunt.

56. Iuuenes, viri, senes, magis Melancholia tentantur.

57. In mulierib. crebrior, & deterior est.

58. Longius vigens, vel Apoplexia, vel Epilepsia, vel Fu-  
roris, vel Convulsionis, vel Ocularium agritudinum nuncia  
est.

59. Inueterata, curationem difficilimam, vel nullam: noua  
facilem concedit.

60. Quando multorum ciborum est appetentia tantum,  
malum.

61. Ulcerib. Melancholicis, cum  $\delta \nu \sigma \phi \omicron \gamma \iota \alpha$  symptomaticè pro-  
rumpentibus, mors instat.

62. Cholera nigra, in Ventriculi, alui, vesicae, eiusue in cuta-  
neis partibus, post statum, colore comparente, bonum.

63. Scirrhosum Lienis tumorem, vix ullus, melancholicè  
desipientium, euadit. &c.

64. Mæstum hoc  $\tau \alpha \delta \omicron \varsigma$  quid moneat, videamus. Quid  
Forma? Nil utile. A spiritus enim intemperatura ita heret;  
ut hac remota: illa sponte euanescat.

65. Quid subiectum? Sui custodiam, similium apparatus, po-  
stulat.

66. Quid Efficiens? Tali spiritum temperie temperandum:  
quò spectrum, melancholico aduersum, ab externo  $\alpha \lambda \theta \eta \tau \omega$ , vel  
interno conceptu, Phantasia sapienter infigi possit.

67. Verum, delirio symptomatico, quadantenus sic sopito,  
Morbus ipse, ne utiquam deuietus iacet. Sed radix stirpsq; ma-  
li, radicitus, si possibile, extra corpus eliminanda venit.

Iccirco



68. *Idcirco, acrasiam nudam; vel Totius, vel Partis; cal. & hum. depellimus. Materialem, salubria & Speciei, et comitum Vitiorum ratione, indigitantem praesidia, curamus.*

69. *Speciei. Sanguis V.S. bilis duplex, cum pituita, suis medelis contemperatur, & ad exitum informatur.*

70. *Vitiorum. Corruptio: eradicationem hortatur. Qualitas; cal. & humectationem, cum incidentibus substituendam. Quantitas; tantum detrahendum; quantum morbus, & aeger facile ferunt. Motus; retrahendum. Quies; dyscrasiam, vel materiam melancholicam mouendam.*

71. *CVRATIO, tripartito medicandi genere completur: Dietetico, Pharmaceutico, & Chirurgico.*

72. *Nota. Medic. neq; solus, neq; incautus, Melancholicos adeat*

73. *Quin, aded Mens horum quandoq; curarum imaginibus stimulatur: ut criminis notorii sese auctores esse; DEI, hominumq; bonitate excidisse, vel aliud opinantes: vel fugiant, vitamue inuisam, ferro, aquis, casu, aut alio necis flagitio, anxie abrumpere querant: itaq; caute asservandi; omnes mortis machinas amouentes.*

74. *Aer caleat, & humeat temperate: clarus sit & mundus. Arte talis haurietur; aqua, cui rosa, viola, althæa, cum ambrâ, moscho, caryophyllis incocta sit, iuxta egrotum euaporante, aut sparsim diffusâ per solum. Odorifera, poma fragrantia, ros, santal. ambr. laudantur.*

75. *Esculenta, Poculentaq; vel sola Melanchol. leuem expugnant. Illa sint, εὐχρυμα, πολύροφα; non καρβασικά, aut κακοσόμαχα: non salsiora, acria, acetosa nimium; non suffocata, suffumigata, vrentius assata, frixa, pinguiora, foetida, adstringentia, flatuosa, &c.*

76. *Huius penuarij sunt. Acetaria, ex flor. sambuc. preparata: panis succulentius coctus: iuscula gallin. r. capon. in quib.*



borrag. bugl. lactuc. spinach. cocta sunt. Carnes Phasian. perdic. sturn. merul. porcellor. h. edina iunior, vitul. agni anniculi; oua sorbil. carpiones, lupi, trutæ, pisciculi saxat: vna, vna pass. poma d. vel subacida saccharata, prima, & vltima mensa sumta. Post cibum, aquæ parum, aq. bugl. commixta, superbibere: anis, aromat. ros. G. Diagalang. deuorare, præsertim in cruda & Mirachiali Melanch. conuenit.

77. Culina careat, brassica, carne, bouina, vaccina, ceruina, leporina, hircina, taurina, aprugna: item, caseo, paneg, rancidis; caulib. pisis, lentib. maximè, sorbis, fungis, tuberib. mespilis, oryza, fabis, pyris, cotoneis, limacib. &c.

78. Potus, sit vinum ὀλιγοφόρον & ἀδυνάμορον; vel aquis melancholicis dilutum: non nigrum, terrenum, crassum, forte. Vel, cum aqua, ex hord. lupul. bugl. malu. galang. cinnam: adfusis, aq. card. bened. lil. conual. potio coquatur. ius galli anniculi, aliquod tempus bibitum, mirè omni Melanchol. commendatur. Sed huius artificium alibi docetur.

79. Somnus, quadam phantasmatum requies, vigilantia sicca sit acceptior. Sin turbida ἀγρυπνία molestet; redolentia flor. viol. ros. nymph. soluatur, vel, ex dictis, cum malu. alth. papau. alb. alijsq, decoctura fiat, capiti admouenda, vel irroranda. aut caput, tempora singulariter, & nares, lacte muliebri, ol. ros. cum tantillo opij, croc. & myrrh. rectificati illitu, foueantur. Item, vng. alabastr. vel ex nota & conducibili materia, cataplasma conformetur.

80. Intrinsecus, pulu. Diamagarit f. cum sach ros. viol. bugl. Cibaria papauere conspersa; Diacod. Philon. cum aq. vel ptissane suc. profunt. Et quadam stomachica auxilia. Cum calidior, vel frigidior ventriculus, idem accidens caussari queat. Sed in somniferis modus esto.



81. *Cum plurimi Melancholicorum, aluo duriore grauentur: ideò clysmatis sæpè cienda, ope, radic. & folior. malu. bismal. bugl. borrag. thym. epithym. fumar mercurial. sena; seminib. anis. cuscut. lini, fœnic; passul. prun. fic. flor. chamomil. &c: conuenienterq; iniectis.*

82. *Hæmorrhoidalis fluxus, vel varices, hunc sæpè soluunt morbum. quare Naturæ Minister, illas occlusas reseret: has non temerè absecet: muliebres insuper Menses promoueat, &c.*

83. *Vexus sit parcissima: vel nulla. Sudor largus vitetur.*

84. *Labores nec nulli sint; nec contentiosiores. Exercitiu moderata, post spontaneam, vel artificiosam ventris turbationem, per amœna viretaq; loca fiant. Pedum, manuumq; leues frictions, atq; ex decoctione utilium lotiones, non nihil hinc possunt.*

85. *Imò, hoc opus, hic labor est: Spiritus, pauore, luctu, solitudine, tristitiâ, alijsq; pathematis consternatos, sanare.*

86. *Absint ergo à Melancholicorum consortio, meticulosi, tristes, tricones: admittantur, sereni, alacres, iucundi, decori varijq; leporis amici. Hi, pusillos animos, confidentes securosq; reddant: mæstos, exhilarent: timidis, animum addant: luctuosos, commodis rerum verborumq; delicijs demulceant. Audiantur dulcisoni concentus Musici viuidusq; chordarum subsultus. Libri, si Musas coluere seueriores ardentioresq;, illis surripiantur.*

87. *Si talibus incassum laboremus: huiusmodi tetra Saturnia proles, blanditijs mutatis, verbis asperius impetenda: minis, flagra aliquando commiscendo.*

88. *Pharmacia, Vacuando, & Alterando absoluitur.*

89. *Purgantia, initiò clementiora, post valentiora suadenda.*



90. Si Melanchymicus medicamentum auerfetur; fallendus; suauia illi miscendo.
91. Forma liquida solidiori præfertur. Cùm humectationis, heic cura acris esse debeat. Quamuis, pillularis capiti magis accommodata est.
92. Enematum infusio, vacuationis, & auersionis gratia, præcat, ac frequentetur.
93. Si flauam bilem peccare artificiosè coniecimus; competunt, Myrobal. flauæ, rhabarb. cass. elect. d. suc. ros. Catapotia, aur. sine quib. aggreg. d. aloë.
94. Si pituitam. Hier. picr. G. Diacathol. Diaphæn. Elect. Ind. M. Diacnic. benedict. laxat. Turbet. colocynth. Pill. assaier. alephang. d. agar. stomach. mastich. Hier. cum agar. cocch. fætid.
95. Si bilem atram. Trypher. Persic. Sena, Diasen. lenit. cathol. conf. Hamech, alcherm. Elect. d. Epith. Hier. Ruf. Helleb. extract. quantit. scrup. j. aut drab. s. exhibitum: Hier. Logad. Pill. Ind. d. fum. ter. d. lapid. Lazul. Armen.
96. Memorata, cùm sero lact. capr. vel decoct. ex Cichor. scolopend. thym. viol. bugl. epith: semin. cichor. cnic. anis. fænic. radic polypod. Cappar: uuis pass. prun. Damas. alijsq; s. a. parato propinantur.
97. Accepta purgatione, præsertim solida, cremorem hordei, vel aq. decoctionis absinth, superingerere placet.
98. Vomitum, primogenia Cerebri Melanchol. non approbo. Sunt, qui ventrali, vel huic adiectis partibus melancholia, vomitum summopere suadent. Ac veratrum, antiquam sæpe mirachiam, vomitu persanare perhibent. Sed, illud in substantia assumere, culpatur.
99. Ptarmica, gargarismata, apophlegmatismi, & alia,  
pro



pro vario scopo medentis, non sine fructu quoque adminis-  
trari possunt.

100. Alterantia, vel Contentis, vel Continentibus com-  
petunt.

101. Illa, sunt humores corporis qualescunque, deprauati,  
preparatione & coctione idonea alterandi. Serapys, acetos.  
d. stach. oxymel. squillit. viol. d. endiu d. suc. ros. d. Cichor.  
lupul. fum. ter. buglos. thym. epith. Pomis, scolopendr. cala-  
menth. Bizanth. cum aquis vel decoct. fœnic. apij, absinth.  
salu. viol. endiu. portul. acetos. meliss lupul. borrag. bugl. sca-  
bios. flor. sambuci. oxymel. helleborat, etiam non negligas,  
&c.

102. Continens, aut Totum est, aut Pars.

103. Totum, balneum aquæ dulcis: vel ex borrag. bugl.  
malu. flor. chamomil. hordeo facti, iugiter, corpore, ven-  
triculo, primisq; venis, cruditate succorum vacuis, iuuat.  
Lotus ager, ol. amygd. d. & ol. Chamamel. corpus circum-  
linat.

104. Pars, vel Internis, vel Externis corrigitur & robo-  
ratur.

105. Intus sumuntur. Conseru. bugl. borrag. viol. melis-  
soph. ros. lupul. cort. citr. tamarisci, (maximè Satyrionis)  
anth. stach. nenuph. Electar. Diamargarit. f. cal. dianth:  
Theriac. Mithridat. cum Melancholia dicatis aquis, &c.

106. Ex præscriptis, & huiusmodi multigenis, cum Syrup.  
d. pomp. ros. artemis, opiata fingi: aut rotule, saccharo, aqua  
bugl. soluto fundi possunt, & alia.

107. Extus apparantur. Capiti, embrochæ, ex melis. be-  
son. flor. chamem. flor. sambuc. ros. anth. summit. epith. sena,  
conficiuntur. Oxyrrhodina, in omni Melanchol. plurimum  
prestant. Fiunt ex ol. ros. aq. myrtil. acet. quib. sinciput il-  
linatur.



linatur. Caueantur sicciora : ne stultum, in insanum transse  
formemus stultè.

108. Mitellam, ex melancholica materia concinnatam, ge  
stare, proficuum est.

109. Cor, ob eximiam eius cum Cerebro  $\sigma\upsilon\upsilon\pi\alpha\delta\epsilon\alpha\pi$ , curio  
sè curandum. Epithema, ipsi ex aq. bugl. ros. endiu. san  
tal. alb. & rub. coral. croco, caphur. caryoph. mace, seri  
co inclusis, adplicetur. Vel sacculus, ex flor. cord. nenuph. fol.  
melis. santal. omn. lign. al. caryophyl. diamarg. cal. &  
f. cortic. citr. singulis, contusis, consuitur, aquisq; ros. melis.  
rigatus, admouetur, &c.

110. Ventriculo, suis medicinis prospicitur. Vel inungitur ol.  
d. absinth. nard. cera : addito interdum, vino odorifero, al  
bicante, vel acerbo.

111. Hypochondria, unguento ex ol. in quo rut. aneth. ab  
sinth. serpyl. bac. laur. fuerint cocta, alterantur. Fomentum,  
ex cumin. puleg. anis. rad. cap. enul. Camp. irid. chamomil.  
melilot. paratur, cum aq. & vino albo.

112. Ita, aliæ corporis partes, per  $\sigma\upsilon\upsilon\pi\alpha\delta\epsilon\alpha\pi$  Melanchol.  
producentes, peculiarib. suis iuuamentis, alicubi expressis,  
muniendæ sunt.

113. In hoc morbo, venæ latiusculè aperiendæ, sanguine illis  
us primaria causa subsistente : vel in progressu, residuam cu  
rationem infelicitate potente.

114. Quando illum ipsum, veram causam esse ambigas ;  
parcè & prudenter fluere sinas. Vel si scias : ita demas : vt re  
liquorum humorum quis noxius, habenis sanguinis non sol  
uatur, liberiusq; ferociat.

115. Viribus constantibus : simul & semel sanguinis tolla  
tur noxa. Sin illæ id negent, epicraticè, vel epaphreticè erit  
procedendum.

Sanguine



116. Sanguine in toto corpore turgente: media, vel basili-  
ca primū, & (capite vnâ illo referto,) post Cephalica feriatur.
117. Si inferiora sanguine sint turgida, caputq; afficiant;  
crurum vena incidantur.
118. Si Mensium suppressio, Melancholiam fouet; malleoli  
vena tundatur. perseuerante malo, etiam frontis: Cerebro  
sc: pleniore.
119. Phlebotomia, totali Melanch. conducibilior est: quàm  
alijs partibus; præsertim Cerebro.
120. Cucurbitulas in Hippochondriaca, sine scarificat. affi-  
gunt. Nos in scapulis, ceruice, natibus, brachijs, legitima oc-  
casione, cum sacrificatu admittere possumus.
121. Hirundinib. etiam, sanguifluas in ano venas recludi-  
mus. Cauteria etiam & sinapismi, capitis coronali sutura,  
brachijs, crurib. non inutiliter inuruntur.
122. Tandem. Si Melancholia consenuit; vel ob heredita-  
tem inexpugnabilis est: solennem V. S. purgationemq; subeat  
ager: victu balneisq; non neglectis. Singulorum Mensium,  
singulis quindecim diebus continuis, pulueris seq. drach. vn.  
sem. in iusculo pulli, aut sero caprino assumere iuuat. R. My-  
robal. Ind. Cheb an. drach. ij. zingib. alb. drach. sem. epith.  
melis. thym. helleb. nig. præp. sampsuch. cardam. coriand.  
præp. sing scrup. ij. F. s. a. Puluis.
123. Quæ de Diæta, Pharmacia, & Cheirurgia pronuncia-  
uimus; pro cæli, regionis, causse, loci, ægrotantis tempera-  
menti, habitus, studiij, aliorumq; coindicantium, & contra  
indicantium, constitutione ac varietate: sollertis Medici in-  
tento ac industriâ, mutantur. Nob. generalius magis, de af-  
fectione Melancholica, differere placuit.



PRONVNCIATA PRO-  
BLEMATICA.

MEDICOTHEOLOGICA.

Dæmonium potest facere Melancholicum.

Melancholici Dæmoniaci, non tam Pharmacorum, quàm  
precum, vsu sanantur.

Melanch. necis propriæ auctores, non omnes Orci rei.

Mulierculæ Melanch. maximæ fiunt Sagæ.

PHYSICA.

Color, succi melancholescentis, non caussatur Melancholiam.

Cor non est *πρῶτον δεκτικόν* Melanch.

Ex timore canicies oritur.

Melancholici Memorix debilitate laborant.

Melancholici sani, sunt ingeniosi.

Hyeme minus, reliquis anni partib. magis Melanch. florent.

Spiritus non sunt animati.

ANATOMICA.

Propter venosum genus vitiatum, non splenis tractus, aut  
expulsionis languorem, Melancholia magis nascitur.

AETIOLOGICVM.

Constitutio frigida & sicca partium, non necessariò humores  
consimiles fouet.

Melancholia, & morbi, & causæ rationem habet.

Possibile est: (contra Auicennam) Melancholiam, absq; læ-  
sione Cordis prouenire.

Intemperies cal. & frigida, etiam à calore oritur.

Mirachiale pathema, non ab inflammatione Pylori pendet.

Secus ac Diocles, & Gal. sensère.

PATHOLOGICA.

Pueri, licèt meticulosi, rarò tamen Melanchol. corripuntur.

Lupina, vel (vt Magnus Auic. vocat) Dæmonium Lupinum,  
& Canina affectio; non eadem cum Melancholica.

Melancholia, quatenus morbus, non est cum febre.



CURATIVVM DIÆTETICVM.

Vinum, in Melanch. tutò exhibere licet.

PHARMACEVTICA.

Cassia, & Myrobal. in Hypochondriaca, reprobantur.

Veratrum, non cum Myrobal. misceatur.

Vnius medicamenti, plures sæpe sunt bases.

CHEIRVURGICA.

Melancholico, sanguis flauus, tenuis & rubicundus effluens,  
non statim est sistendus.

In Mirachiali caussa, humor non extra venas, Musculis impa-  
ctus est: ideoq; nec cucurbitulis is eliciendus.

S A T V R N V S.

*Quos hac vides trans septa, Lector, atrarum  
Greges ferarum, luridosq; bufones,  
Et cerberos, & si quid vsque fadarum  
Gemit volucrum, Cimmeri incolas antri,  
Et fabulosi antiqua sacra Nasonis,  
Homines colubros, dira monstra Nature,  
Et pabulum, Gemitus, & impium potum,  
Acheronte promptas viscido nigras undas:  
Hoc omne ego cum infantulo recens nato  
Congressus & genui & subinde propugno.*

*Hinc scito vestibuli mihi datam curam.*

*Quicumq; quantuscunq; Pharmaceutarum  
Me nescio speras vel igneo è corde,  
An fractuoso vel cerebro abacturum  
Pecudes meas virtute Thessali succi:  
Hoc ausum ego malè hac falce criminis noti  
Multabo, perpetimq; faxo, sis mæstus.*

M. Iohan. Kepler VVilanus  
Th. Studiosus.

F I N I S.



